



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

1 Quid sit infamia, & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

tur ex culpa eius, sed ex negligentia infirmi, vel alia de causa: nihilominus irregulares fient, quia actio illa eis prohibita est ratione talis periculi, & sub illa conditione de quo supra dictum est, & videri possunt auctores in locis proxime citatis.

DISPUTATIO XLVIII.

De irregularitate, quæ ex infamia contrahitur.



QVAMVIS infamia delictum per se non fit, ex delicto tamen oriri solet: & ideo post irregularitates, quæ ex delictis nascuntur, hanc proxime adiungimus, quæ illis maxime affinis est, quamvis interdum possit sine delicto contrahi. Prius ergo de ipsa infamia videndum est, quid, & quotuplex sit, & unde oriatur: deinde quomodo ex illa irregularitas contrahatur, & quomodo etiam tollenda sit.

SECTIO I.

Quid sit infamia, & quotuplex.



Fama quid.

ONSTAT ex voce ipsa infamiam esse quandam bonæ famæ priuationem, vel diminutionem. Est autem fama (quæ absolute dicta in bonam partem accipitur) illa se dignitatis status, vita, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus, ut dicitur in l. Cognitionem, ff. de Variis, & extraordinariis criminibus. Infamia ergo erit imminutio huius status, quæ per publicam, malamque opinionem de persona fit: & hæc ipsa sinistra opinio publica est infamia. Unde sicut Augustinus lib. 83. questionum, quæstione 1. definit bonam famam, seu gloriam esse claram notitiam cum laude: ita nos dicere possumus, infamiam esse obscuram notitiam, & reprehensionem, seu vituperationem dignam.

August.

Infamia ex parte materia duplex.

Vnde in primis constat, materiam, circa quam versatur infamia, esse vitium aliquod vel defectum personæ. Ex quo capite duplex potest distingui infamia, ita ut una sit de vitio, quod sit proprium peccatum seu delictum personæ; cuius manifestatio personæ exultimationem diminuit: alia sit de aliis qualitatibus, seu defectibus personæ, quæ sine culpa eius, statum dignitatis eius diminuunt; & utraque ad præsentem considerationem pertinet, quamvis magis prima, ut videbimus.

2. Divisio infamiae in legalem, & popularem.

Solet autem ulterius distingui in infamiam iuris, & facti, nam de utraque sit mentio in iure. De priori in l. 1. & 3. ff. de His qui notantur infamia, ca. infames, 3. quæstione septima, de posteriori in cap. Licet, de Testibus, cap. Licet, de Probationibus. Ut autem hæc communis distinctio melius exponatur, aliam licet non adeo vulgarem præmitto, qua possumus infamiam dividere in legalem, & communem, seu popularem, vel humanam: quarum prior etiam dici potest infamia iuris, & posterior facti. Quam divisionem sumo ex l. Eam, C. Ex quibus causis infamia oriatur, quæ sic habet, Ea, quæ pater testamenti suo filios increpans scripsit, infames quidem filios iure non facit (ecce infamiam iuris) Sed apud bonos, & graves opinionem eius, qui patri displicuit, onerat (ecce communem infamiam facti.) Legalem ergo infamiam appello illam, quæ ex vi alicuius legis humanæ habet aliquos morales effectus, ratione quorum specialis quædam moralis macula reputatur: & quia in ea ratione completur per institutionem humanam, ideo

1. Eam, C. Ex quibus causis infamia oriatur.

Legalis.

A legalis appellatur: & eodem sensu dici potest infamia iuris quoad suam primænam originem & institutionem. Communis autem seu popularis infamia dicitur opinio quædam, quæ obscurat quidem personæ æstimationem, & aliquo modo vilem eam reddit, non ex vi alicuius legis, quia nullam inde habet institutionem, neque vllum effectum; sed solum ex hominum iudicio, & apprehensione, ideoque dici potest infamia facti, ut verbi gratia, communis opinio de aliquo, quod descendat ex secta damnata, si non foueatur aliquo iure habente talem personam suspectam, vel eo titulo inhabilitatem aliquam introducente, erit infamia quædam communis, & humana: si autem accedat talis, erit legalis. Hic ergo esse posset vnus sensus illius communis partitionis infamiae iuris, & facti: communiterque hoc sensu accipitur, ut videre licet in Syluestro, & aliis verb. Infamia, & Castro, ac Penna locis infra citandis, & aliis, quos isti referunt ad infamiam enim facti nullam iuris dispositionem requirere videtur. Sed certe in ordine ad effectus morales, ut nunc de illa loquimur, necessaria est aliqua iuris dispositio, quæ statuat quale crimen sufficiat ad infamiam, quod in præsentem maxime necessarium est, ut videbimus. Et ideo supponimus omnem infamiam, de qua sermo est in præsentem, debere esse legalem, quam iterum diuidemus in iuris, & facti in alio sensu, nam alia diuisio prius necessario permittenda est.

Tertia diuisio infamiae in civilem, & canonicam.

TERTIO ergo diuiditur legalis infamia in civilem, & canonicam, iuxta cap. vltimum de secundis nuptiis, ibi, Legalis infamia, id est, per leges civiles introducta: est enim ibi sermo de infamia, quam lex civilis imponit mulieri, quæ intra annum viduitatis tranlit ad secundas nuptias, quam infamiam illud canonicum abstulit. Vnde constat infamiam iuris civilis, per se distinctam esse ab infamia iuris canonici. Quoniam verum sit infamiam iuris civilis, quæ per ius canonicum expresse sublata non est, etiam esse infamiam canonicam, ut notauit Innocentius in cap. Qualiter, & quando, 2. de Accusationibus, & sumitur ex cap. Omnes, 1. 6. quæstione 1. Omnes (inquit Adrianus Papa) Infames effecti: quos leges seculi infames appellant. Quod intelligendum est, nisi ius ipsum canonicum talem infamiam abstulerit: nam tunc potius ipsa infamia civilis per superiorem potestatem iuris canonici sublata censetur, ut bene notauit Glossa in dicto cap. Cum secundam Apostolum.

Vnde duplex solet statui regula ad cognoscendam infamiam canonicam, quæ ad nos pertinet. Vna est, omnem infamiam civilem per ius canonicum non reuocatam, esse canonicam, non quia a iure civili lata est, sed quia a iure canonico accepta est, vel expresse in dicto capitulo. Omnes, vel tacite, dum eam non aufert, nam tanquam in re sibi favorabilis, & rationi conformi consentire videtur. Secunda regula est, omnem illam, qui suis culpis exigentibus ad Sacerdotium promoueri non potest, esse infamem secundum ius canonicum, ut eisdem fere verbis habetur in dicto cap. Omnes, & notatur Abbas, & Innocentius in cap. Testimonium, de Testibus. Qui aduertunt dictum esse, Qui suis culpis exigentibus, quia quædam propter alias causas aliquis remouetur ab ordinum susceptione, non propterea infamis efficitur: quod patet ex multis irregularitatibus, quæ sine vlla infamia contrahuntur, ut per secundas nuptias, per occisionem hominis in bello iusto, vel per iustam sententiam. Et ratio est, quia multa possunt ad Ecclesiasticum ordinem requiri, quibus potest

Aliaque peccata
enim inducunt infamiam
canonicam, quæ
non inducunt
civilis.

potest homo carere sine infamia, vel dedecore. Vnde obiter constat ratio, ob quam aliqua sunt peccata, quæ inducunt infamiam canonicam, quæ non inducunt infamiam civilem, vt notauit Turrecremata in dicto cap. Omnes, multa enim peccata inducunt irregularitatem, quæ secundum leges civiles non efficiunt homines infames. Ratio autem est, quia plus exigitur ad statum Ecclesiastici ordinis, eiusque decentiam, quam ad civilem, temporalem politiam ac decoris, & ideo in ordine ad prædictum finem aliqua reputantur in iure canonico ad irregularitatem inducendam, quæ ex solo civili iure illam non inducunt. Vltimo occurrit circa hanc posteriorem regulam aduertendum, illam non deferre præfenti instituto: quia secundum illam infamia est veluti quid consequens ad legem canonicam imponentem irregularitatem propter delictum: hic autem agimus de infamia, quæ antecedit irregularitatem, & est causa eius ex vigentis legis, quæ facit irregulares omnes infames. Et ideo in priori regula insistendum est: & deinde addi posset, multo magis esse infamiam canonicam, quam directè ipsum ius canonicum inurit, etiam si nullo alio iure imposita sit.

Quarta diuisio infamie legalis in canonicam, & civilem.

Quarto vtrique infamia legalis, tam canonica, quam civilis, in facti, & iuris infamiam diuidi potest: vel (vt verborum æquiuocatio tollatur) vna dici potest infamia illata per actum iudicum, quæ iuris tantum appellamus: altera illata per quamcunque facti manifestationem, quam vocamus legalem facti. Quamuis enim talis infamia semper aliquo modo sit ex institutione iuris, tamen applicatio eius ad talem personam, seu existentiam eius (vt sic dicam) aliquando fit iuridico modo, vt per sententiam iudicis, aliquando per solum factum hominis, vt per euidentiæ facti publici, vel per diuulgatum sermonem. Et in hoc sensu significatur hæc diuisio in capit. vlt. de Temporis ordinibus, Si proposita crimina ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent, &c. vbi duo modi indicantur infamandi personam, vnum per iudiciarium ordinem, alium per facti euidentiæ ex priori modo resultat infamia iuris, ad quam certum est sufficere sententiam definitiuam iudicis, per quam aliquis damnatus est, vel declaratus, vt conuictus de crimine, ex l. Verbum, C. Ex quibus causis, &c. Vbi dicitur, interlocutoriæ non sufficere, sed necessariam esse definitiuam sententiam, causa cognita. Et ita censeo esse intelligenda citata verba ex dicto capit. vltimo, Si proposita crimina ordine iudiciario comprobata, vtique complete, & perfecte, quod non fit donec definitiuam sententia feratur. Et hæc est communis sententia, vt patet ex Glossa, & Doctoribus in dicto capit. vltimo, & in capit. Vltra, & capit. vltimo de Co-habitatione clericorum, & mulierum, & in capit. 1. de Exceptionibus. Syluester verb. Infamia, Nauarr. capit. 25. numer. 73. Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punitione, capit. 9. Imo addendum est, iure canonico necessarium esse, vt per accusationem processum fuerit, nam si per viam inquisitionis procedatur, etiam si sententia sequatur non sequitur infamia iuris. Vt notat Abbas in capit. Inquisitionis; de Accusatione, num. 2. An vero præter hunc modum sit alius sufficiens ad infamiam iuris statim explicabitur. Infamia autem facti esse dicitur, quando sine actu iudiciario ex ipso facto ab alijs cognito, sinistra opinio diuulgatur de tali persona, atque infamia generatur: qualis vero notitia ad illam sufficiat, statim explicabitur.

2 Dubitari enim in primis potest circa diuisionem

A hanc, quomodo possit infamia legalis, de qua agimus, ex sola sententia, aut ex solo facto generari. Duo enim in tali infamia necessaria sunt, substantia infamiae, vt sic dicam, & legalitas. Primum non potest fieri per solam sententiam seu ius, quia infamia in sua substantia consistit in opinione & notitia hominum: hanc autem non efficit sententia, vel ius ipsum per se, sed diuulgatio, & locutio hominum: si enim sententia in angulo proferretur, & ibi occultaretur: non generaret publicam opinionem sinistra de persona: ergo nec generaret infamiam. Sententia ergo potest esse fons infamiae, non tamen sola infamiam inferre, nisi coniungatur aliquod factum hominum. Secundum etiam, id est, factum ipsum & diuulgatio hominum loquentium non sufficit ad infamiam legalem, nisi adiungatur sententia, quia quantumcunque sit euidens, & publica notitia, facti, illa non habet effectus legales, donec sententia iudicis accedat: ergo non erit infamia legalis, iuxta ea quæ in secunda diuisione dixi. Antecedens patet, quia infamia sub illa ratione habet rationem poenæ, & hæc non incurritur absque iudicis sententia.

Ad priorem partem responderi posset, illam dici infamiam iuris, quia ortum habet à sententia iudicis, non quia præter illam prolatam, seu promulgatam non sit necessarium aliquod factum hominum loquentium, vel scribentium, vt infamia consummetur. Sed hoc non recte dicitur, quia in eodem puncto, in quo finitur iuridica intimatio sententiæ, & transit in rem iudicatam, incurritur, & perficitur infamia. Ad quod explicandum tria possumus in infamia distinguere: vnum est, ius quod vnusquisque habet ad suam famam, quod dicitur dominium famæ: ratione cuius nemo potest sine iniuria infamari quamdiu integrum retinet dominium famæ suæ: Aliud est veluti actualis possessio famæ, vel actualis eius priuatio per publicam notitiam & opinionem talis delicti de tali persona. Tertium est, inhabilitates aliquæ seu effectus morales, qui sequuntur in tali persona ex tali infamia.

Quod ergo ad primum spectat, immediate fit per sententiam ipsam si definitiuam sit, vt dixi, & delictum sit ex his, quæ in iure notantur infamia, iuxta lib. 1. cum sequentibus, ff. de His qui notantur infam. & C. ex quibus causis, infam. & capit. & lib. 1. de Postulando, lib. 5. cum sequentibus C. eodem, cap. Infames, §. Porro, 3. question. 7. Idemque est quoties in sententia infamiae poena imponitur, quæ ostendit turpitudinem delicti, & relinquit hominem infamem etiam post perperam poenam, vt dicitur in dict. §. Porro. Requiritur tamen vt talis poena non solum in se abiecta sit, sed etiam per sententiam imposita, vt declaratur in l. Nullam, C. Ex quibus causis, &c. Quod ergo per talem sententiam statim dominium famæ amittatur, constat est apud omnes, quia sub hac ratione habet rationem talis poenæ, & sententia potens est ad talem poenam infligendam: ergo quoad illam secum affert executionem, nec enim posset aliter executioni mandari. Vnde omnes fatentur non esse contra iustitiam publicare delictum hominis sic iuridice condemnati: quia iam est priuatus dominio suæ famæ quoad hanc partem, sicut fortasse charitas possit interdum obligare ad non diuulgandum illud, iuxta occurrentes circumstantias: de quo videri potest Soto lib. 4. de Iustitia, quæst. 6. art. 3. ad 4. & lib. 5. quæst. 10. art. 2. Nauarrus, cap. 18. Summa, num. 26. & sequentibus Cordub. tractatu de Detractione, memb. 4. q. 3. concl. 6. & alij quos refert & sequitur Petrus Nauarra, Tom. de Restitutione, lib. 2. cap. 4. num. 286. & sequentibus.

Secundum autem, scilicet, actualis spoliatio famæ, seu contraria infamatio fit suo modo per sententiam solum sufficienter, quamuis augeri possit per hominum sermonem. Patet, quia sententia ipsa dat quandam publicam notitiam delicti: sicut enim

Quomodo
infamia lo-
gatu ex solâ
iudicis sen-
tentia, ut
solo factâ ge-
nerari possit
Ratio dubia.

Quidam
responsio ad
priorem par-
tem reuoca-
tur.

Tria in in-
famiam iuris
distinguen-
da.

Per iudicis
sententiam
aufertur ius
ad famam.

Soto.
Nauarra.
Cordub.
Petr. Na-
uarra.

io
Actualis
possessione
famæ quo mo-
do per sen-
tentiam in-
diciis aufertur
illa.

illa manet ex scientia iudicis ut sic, quæ est scientia publica, & profertur ministerio publico, & coram publicis ministris iustitiæ, ita confertur notitiam publicam, & consequenter publice obscuratur fama. Et præterea dat aliis facultatem loquendi, & divulgandi si velint, & consequenter in radice ac moraliter loquendo omnino eripit famam, quamvis actuali notitiam non possit per se ipsum omnibus conferre, & quoad hoc crescere possit postea infamia veluti actualis. Et hoc solum probat difficultas tacta, quæ non obstat quominus talis infamia ante talem divulgationem simpliciter dicatur, & propriissime infamia iuris, quam denominationem semper retineat, etiam si postea opinio crescat, & vollet fama, semper enim eandem rationem retinet. Quod vero spectat ad tertiam de legalibus effectibus infamiae, in quo consistit, vel consummatur ipsam esse legalem, certum est sententiam ipsam secum afferre executionem talium effectuum, quales sunt reddere personam inhabilem ad dignitatem, ad testimonium ferendum, iuxta qualitatem infamiae & similis, de quibus Syluester, & Summistæ verb. *Infamia*. Probat quia poena per sententiam infertur, & quoad hos effectus privatiuos secum affert executionem, ut de censuris dictum est, & statim amplius exponetur.

De Infamia legali facti.

Occurrebat vero statim dubium, an infamia quoad hæc omnia incurratur aliquando per solam legem ante omnem sententiam, sitque huiusmodi infamiae iuris. Sed hoc dubium simul cum altera parte proposita de infamia ipso facto expeditum est. Ad alteram ergo partem de hac infamia dicitur in primis solam hominum notitiam, vel opinionem de aliquo delicto non inducere infamiam legalem sine aliquo iuris adminiculo, id est, sine lege instituyente & mandante ut tale delictum sit ex his, quæ homines reddunt infames: quod bene probat ratio dubitandi ibi facta, & quæ in prima divisione dicta sunt. Seclusa enim institutione iuris humani, talis opinio gravabit quidem personam, & obscurabit illam, & reddere poterit indignam dignitatem & officiorum, quantum rei natura, vel conditio ex se postulat, non tamen per modum poenæ, vel legalis impedimenti, sed ex naturali tantum ratione, & ideo dicimus talem infamiam non esse legalem, sed humanam & quasi meri facti, cuius gravitas non tam ex lege humana, quam ex intrinsicis circumstantiis, & materia spectatur ad iudicandum tam de culpa infamationis, seu detraktionis per quam inferri solet, quam de moralibus effectibus eius. Et de hac optime dixit Nauar. cap. 18. n. 20. tunc esse notabilem iacturam eius, quando ratione illius homo reputatur indignus alicuius grauioris boni animæ, corporis, aut fortunæ: quod contingit seclusa lege humana, ex morali opinione & iudicio hominum veluti per naturalem consequentiam. Nihilominus tamen non erit talis infamia ipso facto, qualis est illa, de qua nunc agimus, quia non erit legalis.

Deinde dicendum est, supposita legis institutione, dari aliquam infamiam ipso facto, & esse illam quæ sine sententia iudicis, vel aliquo ordine iudiciario reddit hominem infamem. Hoc probant iura supra citata in dicta divisione. Ratio vero est, quia interdum institutio legis talis est, ut ad talem infamiam contrahendam nihil aliud requirat quam factum, & per se ipsam fert sententiam, quod facere potest, præsertim in huiusmodi privatiuis poenis. Vnde constat hoc genus infamiae facti non habere locum nisi ubi lex illam expresse imponit per verba quæ sufficienter significant latam sententiam, qualia sunt, *ipso iure*, vel *eo ipso*, *absque alia declaratione*, sicut supra de censuris dictum est. Alioquin si verba

indifferentia sint, etiam si, *Qui hoc fecerit, infamis sit*, intelligenda est, per sententiam, iuxta generalem regulam legis poenalis. Sæpe tamen adduntur prædicta verba, ut videre licet in citatis iuribus, & in aliis, quæ late congerit Maiolus lib. 3. cap. 1. & tunc procedit doctrina data.

Sed oritur hic grauis difficultas, nam sequitur, ad hanc infamiam facti nec publicam notitiam esse necessariam, sed satis esse perpetrationem ipsam delicti, tamen si per accidens sit occultum, ad hanc infamiam contrahendam, sicut sufficit ad incurrendam censuram similibus verbis impositam. Consequenter videtur inuoluere repugnantiam, non crimen manere occultum, & per solum factum incurrere infamiam, repugnantia videtur, cum publica notitia sit de ratione infamiae præsertim facti. Responderi potest admittendo illationem, illam vero infamiam non esse facti sed iuris, alterius tamen modi quam sit illa, quæ infertur per sententiam hominis, scilicet per ipsummet ius legis illata: & ideo non postulare notitiam publicam facti, aut iuris, sed solum conscientiam operantis. Sed hoc ipsum est quod videtur inuoluere repugnantiam, scilicet, quod sit infamia, & quod sit absque vlla notitia publica, cum hæc sit de definitione infamiae, ut sic dicam. Vnde licet in aliis privatiuis poenis habeat locum ille modus executionis per ipsam legem, in infamia non videtur habere posse: quia non potest lex per se auferre bonam opinionem, in qua consistit fama, & in eius priuatione infamia.

Propter hanc difficultatem Castro lib. 2. de lege poenali, cap. 15. in fine ait, hanc infamiam non incurrere ipso iure vel facto per delictum occultum, etiam si lex dicat, *ipso iure*, vel quid simile. Et hoc putat esse singulare in poena infamiae propter specialem repugnantiam: unde sentit non posse aliud per legem fieri, etiam si legislator velit. Huius autem opinionem in primis obstat, quia iuxta illam vel est repugnantia in legibus ponentibus hanc poenam ipso iure seu ipso facto, vel superflue adduntur similes particulae. Dices, non esse superfluas, quia saltem operantur ut sufficiat sententia declaratoria, & non requiratur condemnatoria. Sed contra, quia vel illa sententia declaratoria operatur tantum à die quo profertur, vel retrahitur usque ad diem commissi criminis. Si primum, non est tantum talis sententia declaratoria, sed etiam condemnatoria respectu talis poenæ, quia secum affert executionem talis poenæ, nec potest aliter illam inferre, nisi publice notificando delictum. Sicut in sententia excommunicationis, quæ solum declarat censuram incurrere ab eo tempore, in quo ipsa sententia fertur non potest distinguere sententia declaratoria à condemnatoria. Si autem detur secundum, quod scilicet sententia retrahatur: ergo per illam declaratur poenam fuisse incursum à die commissi criminis, nihil enim aliud est sententia retrahi quam per illam hoc declarari. Declaratur, quia non repugnat poenam infamiae hoc modo fieri per legem: ergo si verba legis hoc satis significant, ita contrahetur. Antecedens patet, quia si repugnaret, in nulla lege, vel delicto id fieri posset: at in peccato hæretici contrarium docet idem Castro lib. 2. de iusta hæretici. punit. c. 9. nam in principio dicit, occultum hæreticum esse infamem infamia iuris, licet nondum sit infamia facti, quia eius delictum non est manifestum. Et idem tenet Penna referens alios in Director. Inquisit. p. 1. Comment. 4.

Quapropter ad difficultatem respondeo in infamia distinguenda esse duo, vel tria, quæ supra innuavi, scilicet substantiam famæ, quæ est quasi materialis in ipsa, & consistit in publica notitia, vel opinionem, & moralitas seu legalitas infamiae, quæ sit veluti formale. Quoad primum ergo constat non auferri ipso facto per legem quamdiu occultum est delictum, ut probat difficultas proposita. Oportet autem

inducitur
infamia,
qua conficitur
in publica
notitia et
iam quoad
dominium.

tem in hac ipsa substantia famæ duo alia distingue-
re, scilicet actuale possessionem eius, & domi-
nium illius. Et de priori quidem est per se clarum
non auferri quamdiu crimen est occultum, & hoc
ad minimum demonstratio facta. De dominio
autem id posset in dubium verti, sicut enim hereti-
cus iuxta probabilissimam sententiam, à die com-
missi criminis priuatur dominio bonorum ex vile-
gis, quamuis non priuatur possessione & usu illo-
rum; ita posset intelligi de fama. Quod plane sentit
dict. capit. 9. dicens, hereticum ita incurrere infamiam
ante sententiam, sicut amittit dominium
suorum bonorum licet non amittat possessionem,
quod statim extendit ad omnia delicta propter que
leges imponunt infamiam ipso iure. Sed est senten-
tia rigorosa, & nisi incommode explicetur, erit falsa.
Si enim sensus sit ita perdi dominium famæ ipso
facto ex vitium legum, ut possit delinquens sine
iniustitia infamari, licet occultum sit delictum, sicut
diximus posse post sententiam definitum: sic
falsa est opinio. Probatur, quia non priuatur posses-
sione vel usu famæ suæ ergo non potest iuste illa spo-
liari ante sententiam: ergo nec infamari per publi-
cationem delicti occulto, quia non potest quis aliter
spoliari, & priuari possessione famæ suæ. Antecedens
& prima consequentia patet: à simili de amissione
aliorum bonorum, quorum possessio non perditur
ipso facto, nec potest quis illis spoliari ante senten-
tiam: nullo autem iure sit maior priuatio famæ per
huiusmodi leges ante sententiam, quam aliorum
bonorum, nec datur aliis maior licentia ad tollen-
dam illam. Et reuera non esset expediens, quia esset
occasio imponendi falsa crimina, & generandi ma-
gnas diffensiones & odia. Si ergo non obstante tali
delicto occulto, adhuc retinet quis ius in famam
suam, ratione cuius non potest illa sine iniustitia
priuari, videtur retinere dominium eius, quia vix
potest dominium famæ habere alium effectum, ne-
que alium proprium usum. Nihilominus quoad ali-
quid intelligi potest delictum illud famæ infirma-
ri ipso facto, ut iam explicabo.

16
Incurritur
tamen in or-
dine ad effe-
ctus legales.

De altera ergo conditione infamiae, quæ conside-
ratur in ordine ad effectus legales, dicendum est, per
huiusmodi leges incurri infamiam ipso facto, et-
iam si crimen occultum sit. Probatur, quia ex tunc
sit persona indigna & inhabilis ad eos effectus, ad
quos infames sunt inhabiles secundum iura, ut de
heretico affirmant auctores citati, & eadem est ratio
de reliquis, si iura eodem modo loquantur.
Quia lex potest per se ipsam infamiam incurrere quo-
ad hanc partem, & verba eius significant etiam vel-
le: ergo id operatur. Et quoad hoc dici potest infir-
matum dominium talis famæ, quia non potest quis
illa vii, ad obtinendum verbi gratia, beneficium,
vel officium publicum, quia obtentio erit nulla: &
sententia declaratoria criminis postea lata retro-
trahetur usque ad diem commissi criminis quoad
huiusmodi effectus, & consequenter declarabitur
talis persona in se quidem fuisse infamis, & indigna
à tali die, licet ignoraretur, argumento l. Furri, ff. de
His qui notantur infamia, licet in alio casu loqua-
tur: talis ergo infamia dici potest infamia iuris,
quatenus virtute solius legis incurritur, & dici po-
test infamia vi facti, quatenus nec sententiam, nec al-
iam publicationem requirit ut incuratur.

17
Quæ sit
infamia facti
& iuris
modi infamiae
sententia de-
claratio
nam.

Dices: Ergo omnes actus facti à tali persona à die
commissi criminis erunt nulli, si tales sint, ut ab in-
fami persona valide fieri non possint, & sententia
postea lata retrotrahetur ad nullitatem omnium
talium actuum declarandum. Respondeo, si sint ac-
tus publicæ administrationis, & facti sub titulo pu-
blice existimato vero, non annullari, in gratiam co-
munis boni, ut supra de censuris dictum est: si vero
sint actus priuati, concedo irritari quantum per legem
possunt, & consequenter sententiam postea la-

A tam ad eorum nullitatem retrotrahi, ideoque si ta-
lis persona ordines suscepit, declarabitur postea ir-
rita ordinatio, non quidem quoad substantiam ordi-
nationis (id enim fieri non potest) sed quoad exer-
citiū eius, ut iura sæpe declarant. Ita ergo de simi-
libus actibus iudicandum est. Sed dicet præterea a-
liquis. Ergo cogetur huiusmodi criminofus occultus
ab his actibus abstinere, etiam ante condemna-
tionem, & consequenter sæpe tenebitur se infama-
re. Respondeo: per se loquendo, teneri ad abstin-
dum quantum commode possit, quia illi prohiberi
sunt hoc ipso quod iure factus est infamis: tamen si
actus alius non sint intrinsece mali, sed solum pro-
hibiti, interdum poterit excusari exercendo illos, si
aliter vitare quis non possit sui delicti manifesta-
tionem, aut vehementem suspicionem, aut simile
incommodum graue, quod nemo sibi inferre cogi-
tur, sicut de censuris diximus.

Quomodo
teneatur ab
eis abstinere.

Vltimo vero addendum est, quando lex imponit
ipso iure infamiam propter delictum notorium,
aut publicum, tunc quidem non contrahi ipso facto
per delictum occultum, contrahi vero plene, & per-
fecte per publicum delictum ante sententiam decla-
ratoriam, & consequenter per publicationem deli-
cti prius occulte commissi quamuis non iure, sed
facto divulgatum sit. Atque hæc infamia dici etiam
potest aliquo modo facti, quatenus non requirit iu-
ridicam publicationem delicti. Quæ tota assertio
partim per se clara est, partim ex dictis illata. Prima
enim pars de delicto occulto est evidens, quia poena
non debet extendi ultra verba legis: si ergo lex tan-
tum infamat per se ipsam publicum delinquentem,
non habet effectum in occulto. Secunda vero pars
patet contraria ratione, quia lex operatur quan-
tum exprimit; sed talis licet postulet delictum pu-
blicum, non tamen requirit iuridicam manifesta-
tionem, sed absolute publicam notitiam, vel euiden-
tiam, & subiungendo particulam, eo ipso, vel simi-
lem, excludit necessitatem iuridicæ sententiæ: ergo.
Vltima vero pars ad modum loquendi spectat,
& per se clara est. Vnde constat, quod licet talis reus
quamdiu delictum fuit occultum, non esset inhabi-
lis ad beneficium, verbi gratia, ad testimonium fe-
rendum ex vitium legum, eo ipso quod delictum
publicum effectum, est inhabilis, & contrahit om-
nes effectus legales infamiae: nam legalitas, seu
formalitas eius in hoc consistit, & quoad eam in-
fertur per ipsam legem, supposita conditione deli-
cti. Et in hac doctrina conueniunt auctores citati, &
citandi.

18
Quando lex
imponit in-
famiam i-
pso facto pro
pter crimen
publicum,
non incur-
ritur per oc-
cultum per
accidens.

Sed per pa-
bicum te-
iam ante
sententiam
declarato-
riam.

Corollar.

Delictum quando publicum reputetur, ad infamiam.

D Eclarandum vero superest, quando delictum
reputetur sufficienter publicum ad hunc effe-
ctum in famæ legalis. De hac enim re nihil certo iu-
re taxatum est, & ideo auctores arbitrium prudens
requirunt. Ad hoc autem definiendum arbitrium,
tria expendenda videntur, qualitas personarum
habentium notitiam delicti, numerus earum, &
modus notitiæ. De prima circumstantia solum di-
cere possemus, oportere ut apud bonos, & cordatos
viros talis spargatur opinio: Nam si personæ sint le-
ues, & facile moueantur, non sufficiunt ad infamiam,
etiam si plures sint, argum. cap. Sunt plurimi, de
6. q. 11. ut Gregorius ait, sæpe viros sanctos hac infamia
laborare, eamque contemnere iuxta illud Pau-
li 2. Corinth. 6. Per infamiam, & bonam famam. Estque
communis doctrina.

19
Apud quas
personas de-
beat spargi
notitia.

Circa numerum personarum necessarium vide-
tur, ut in tota vel maiori parte communitatis euul-
gata sit: non enim oportet ut sit publicum in tota
provincia, vel ciuitate, ut omnes faterentur: ergo saltem
esse debet in communitate, ut sic dicam proxima,
in qua iurem.

20
Quæ nomen
personarum
sufficiat ad deli-
cti publici-
tatem.

Gloss.
Barol.

Soto.

Nauarr.

Abbas.
Syluest.21
Quimodus
motiatur
quiritur ad
infamiam.Nauarr.
Syluest.
Gloss.Nauarrus.
exponit.22
An confessio
rei iudicio
sufficiat ad
infamiam.

3. Conclus.

in qua quis deliquit. Quod sumitur ex Glossa vltima in capit. *Inquisitionis*, de Accusationib. & Bartolo in l. *De minori*, §. *Plurimum*, n. 10. ff. de Quæstionib. tenet Soto Relect. de Tugend. secreto, memb. 2. quæst. 6. Et idem videtur sensisse Nauarr. in Summ. capit. 27. numer. 255. Idem tamen Nauarr. capit. *Inter verba*, Coroll. 48. 185. hanc sententiam improbare videtur, negatq. esse Bartoliam aut Glossæ, & concludit necessarium non esse vt existat infamia respectu alicuius loci, sed sufficere communem opinionem, ad quos spectat illud seire. Retamen vera Glossa id aperte affirmat, & Bartolus non dissentit, sed explicat apud quas personas debeat considerari infamia: & hoc modo recte dicit non esse affixas loco, sed considerandas esse per respectum ad personam infamatam, & delictum eius; quod & nos fatemur. Nec contrarium sentiunt Soto, vel alij cum dicunt, infamiam debere spargi per maiorem partem viciniae, monasterij, aut Collegij, &c. sed cum proportionem hoc intelligunt: nam in religioso v. g. fama, quoad vitam religiosam considerabimur in suo monasterio; quoad factum vero in aliquo oppido, per notitiam ibi sparsam. Et ita etiam verum est infamiam considerari in personis, ad quas talis cognitio spectat: in eis vero oportet vt in maiori parte communitatis divulgata sit. Addit vero Nauarr. dict. nu. 255. oportere communitatem consistere saltem ex decem personis, quia hoc sufficit, & requiritur vt delictum sit publicum, vt est communis sententia Panormit. & aliorum in ca. *Vestra*, de Cohabit. cler. & mulier. de qua videri possunt Syluest. & alij verb. *Infamia*, & verb. *Notorium*, & Nauarr. c. 25. n. 73.

Vnde circa tertium punctum de modo cognitionis necessario ad infamiam facti, si loquamur de infamia secundum se, dicendum est non requiri euidenciam delicti apud omnes, ad quos fama peruenit, vt est per se notum ex vsu. Et quia aliud est delictum esse notorium vel manifestum, ad quod requiritur euidencia apud omnes, vel plures, aliud vero est esse famosum, ad quod satis est opinio publica orta ex indicij probabilitibus, & Nauarr. tradit dict. n. 255. & Syluest. verb. *Infamia*, num. 3. ex Gloss. in cap. *Manifesta*, l. 1. q. 1. & cap. *Vestra*, de Cohabit. cler. & mulier. Ad infamiam autem sufficit delictum famosum. Præterea bona fama non semper fundatur in euidencia rei, sed in bona opinione: pari autem modo mala ad infamiam sufficit. Confirmatur ex l. *Cognitionem*, ff. de Varijs & extra ord. crim. dicente, *Fama est illa dignitatis status, vita, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus*. Constat autem per euulgatam opinionem contrariam verisimilem probatis viris, multum diminui bonum nomen personæ, quia talis opinio ad infamiam sufficit. Confirmatur denique, quia iura sæpe imponunt, vel admittunt purgationem infamiae: ergo supponunt esse posse infamiam nec euidenciam, nec in veritate, sed in rumore fundatam. Sed licet loquendo in genere de infamia, hæc vera sint, tamen ad infamiam legalem Nauarr. c. 25. n. 73. videtur postulare euidenciam delicti, nam propterea dicit necessarium esse crimen notorium, & non sufficere famosum vel probabile. Sed intelligendum hoc est quando ius loquimur de crimine notorio, nā tunc restringendum est. Si vero loquamur de famoso, vel absolute de publico, sufficit ea probabilis & publica opinio, quæ ad infamiam satis est: quia quoad hoc penderet res hæc ex dispositione iuris.

Vltimo inquiri solet, an confessio rei in legitimo iudicio ad infamiam sufficiat, si alias crimen sit ex his, quæ in iure notantur infamia. Ad quod breuiter dicendum in primis est, si propter tale crimen non fit per legem infamia ipso iure imposita, sed imponenda, non satis esse confessionem iuridicā, vt censetur incurfa, donec sententia lata sit. Ratio est, quia nulla poena, quam lex ipsa per se non infert, censetur imposita donec per iudicem imponatur, quare

A tumuis reus fateatur delictum: ergo nec infamia. Et in hoc casu maxime procedit quod leges ciuiles disponunt, neminem censeri infamē, donec condemnatus est, l. 1. ff. de his qui notantur infam. nemo autem censetur condemnatus de crimine propter solam confessionem eius, l. *Si confessus*, ff. de Custod. & exhib. reor. Item quia euidencia criminis etiam maxime publici, per notitiam facti non sufficit ad infamiam legalem in eo casu, donec feratur sententia, vt ex communi sententia dictum est: ergo nec confessio in iudicio sufficit: illa enim duo quoad hoc æquiparantur.

Secundo vero dicitur, si lex inferat ipso facto infamiam propter delictum, confessionem rei in legitimo iudicio factam sufficere ad infamiam. Est certa & communis assertio, vt patebit, declaratur autem in hunc modum, nam illa confessio sufficit vt tale delictum sit publicum publicitate iuris, imo & notorium, vt expresse affirmat Nauarr. supra dict. nu. 73. Glossæ & Doctores per textum ibi in cap. *Vestra*, & cap. vlt. de Cohabit. cleric. & mulier. & in cap. vlt. de Tempor. ordin. & in cap. 1. de exceptionibus, in quibus canonibus aperte disponitur, tale delictum ex tunc manere publicum, & notorium, & æquiparatur euidencie facti: ergo si alias inferat infamiam propter delictum publicum, vel notorium, ex tunc saltem illam inferret. Dico autem in legitimo iudicio, quia si sit extra iudicium, vel in iudicio nullo ex defectu iurisdictionis, vel alio simili, tunc concessio illa non facit delictum publicum, & ita nihil per se nocet ad infamiam legalem contrahendam, quamuis possit esse occasio, vt inde diuulgetur delictum, & consummetur aliunde infamia facti. Sed quid si iudicium fuit legitimum, confessio tamen non fuit ex veritate, sed ex metu, quia scilicet reus vi, aut metu tormentorum confessus est delictum, quod non fecit? Respondet id satis esse vt lex inferat infamiam, tum quia hæc infamia magis fundatur in opinione & quasi scientia publica, quam in re ipsa: tunc etiam quia leges non iudicant de occultis, & illud puniunt, quod in iudicio publicum est. An vero in conscientia id sufficiat ad morales effectus talis infamiae, alia quæstio est supra in simili tractata de censuris, & in sequenti sedet. aliquid de illa attingemus.

Tandem vero interrogari potest, an hæc infamia orta ex confessione rei, dicenda sit iuris, vel facti ante sententiam definitiuam, Glossa in dict. ca. *Vestra*, verb. *Non diffidetur*, significat esse infamiam iuris, nam dicit esse notoriæ iuris, quam propterea duplicem ibi distinguit, per sententiam, & per confessionem rei: si ergo illud crimen est notorium iuris, & non facti: ergo & infamia quæ ex illa notoriæ nascitur, supposita lege inferente illam, est iuris, & non facti: quia & prima impositio illius, vt sic dicam, & applicatio est ex lege, & iudiciario ordine. Nihilominus Syluest. verb. *Infamia*, n. 12. significat confessionem rei non sufficere ad infamiam iuris. Citatque Bartolum in l. *Furti*, ff. de his qui notant. infam. & Abbatem in cap. *Asiderit*, de iudicijs. Sed si attente legantur hi auctores, non loquuntur quando lex imponit infamiam ipso iure, sed quando requirit condemnationem rei, nam hoc solum probant iura & rationes, quas adducunt; & in eo sensu est verum, vt iam dixi. Tamen quando lex imponit infamiam ipso iure, dicta opinio Glossæ vera est, & alij auctores non contradicunt. Et præter rationem factam, quæ optima est, sufficere etiam probatur ex ca. *Tessimoniam*, vbi Gloss. & Doctores, de Testib. (.)